

758254

Imp. of  
1020.

<sup>SZ</sup> DANIEL NOBILIS:

ILLUSTRISSIMUS ATQUE SPECTABILIS  
DOMINUS, DOMINUS

DANIEL VVASS

DE TZEGE;

TABULAE REGIAE JUDICIARIAE IN TRANS-  
SILVANIA ADSESSOR, LONGO REI USU  
PUBLICAE AC NESTOREA PLANE PRUDENTIA  
SPECTATISSIMUS, CONSULTISSIMUS;

CAELESTI, VIRTUTIS, STEMMATIS,

NOBILITATE SPLENDIDISSIMUS;

VENERANDUS SENEX,

SEXENNIS ET SEXAGENARIUS;

IN AVITO PALATIO TSASZARINENSI,

A. D. VI. NONAS JULIAS,

FRANCISCO T. TSEPREGI

DICTIONE FUNEBRICOLLAUDATUS;

QVVM IN TZEGEINA PROAVITAEQUE GENTIS

VVASSIAE CRYPTA RITE CONDERETVR.

*In collis: Oae Tumbi Santoru*



Gregorius Nazianzenus  
Orat. XXVIII.

NOBILITATIS triplex genus est: Unum, quod superne originem traxit: quod quidem si confideremus, omnes peraeque NOBILES sumus, quippe Creati ad Imaginem DEI. Alterum, quod a Sanguine proficiscitur; cujus ratione haud quidem scio, an Quisquam NOBILIS dici possit, cum Corruptione constet. Tertium a Virtute aut Vitio agnoscitur; cujus vel uberius vel exilius participes efficimur, prout, opinor, Divinam Imaginem vel integram servaverimus vel corruerimus. Atque hanc demum NOBILITATEM amplectetur, Quisquis vere Sapiens ac Philosophus fuerit.

Orat. XIX. Unam item, Nonna,

MATER GREGORII NAZIANZ. NOBILITATEM in Pietate sitam esse censebat, atque in eo, ut, unde ortum habuimus, et quo tandem perventuri simus, intelligamus.





## LAUDATIO FUNEBRIS.



quam contemta res est

Homo, nisi supra Humana surrexerit! In hoc Mundi Valetudinario, nudus et a Matre rubens, sordem inter et sanguinem, humi abjectus, Vitam a suppliciis vagiendo auspicatur, fletque in ipso lucis rudimento Animal ceteris imperaturum, simile quadrupedi. Alia sentire naturam suam: haec pernicitatem usurpare, illa praepetes volatus; haec ire, illa nare: Hominem scire nihil sine doctrina: non fari, non ingredi, non vesci, non aliud Naturae sponte, quam flere. Ex Tepidaria ista primulae Aetatulae Cella, liceat Secundi Philosophi Stylum imitari, Infans musteus, Homulus inchoatus, Pusio pappans, manus pedesque fasciatus, circum ubera lactatus, inter lallantium nutricum lemmata et nenias blanda indulgentia confotus, tarda post incrementa, post longa in crepundiis Lustra, propellentibus Annis exigitur, transferendus in Sudatorium; ubi hulla praetextaque positus, novus in Scenam prodit Choraulles, ac in Fabula Vitae personam suscipit, in Luce Publica, Mundique totius theatro spectante, gerendam.

At vero quas Ille partes heic agendas Sibi sumet? Eum Rex Castellae ac Eruditi Orbis Imperator, Alphonsus, Enniana voce Hominem diceret, non Hominem: Ejus enim omne vivere est cibos dumtaxat et potiones percolare; caussarium hoc Corpuseulum ac fluidum, perituru-

rumque, nisi subinde impleatur, farcire; aegrique adeo ministrum, ac huic puncto Terrae omnino adfixum, silentio transire Vitam ad instar pecorum, quae Natura prona atque ventri obedientia finxit. Ille hospes Animus, congener Polo, Caeloque debitus, cognato Corpori immersus, trabali clavo Adfectuum et adamante vinctus destinatusque, torrentiore Seculi vortice abreptus, Serpentis Veteratoris mille spiris ac contortuplicatis voluminibus innodatus implicitusque, in pistrino tam vili tamque probroso, servitutem servit longe atque longe miserrimam. Id genus Homines, albo Viventium vulgo adscripti, Hominem jam pridem exuerunt, ac, ut vera rebus et sua sibi vocabula demus, sunt omnino Mortui, sunt Cadavera Spiritualia, sunt viva et spirantia Sepulcra: sepeliturque Mortuum saepe saepius Mortuus, ac supervivendo Junioribus pravo suo exemplo illice novus in dies fit auctor Mortis.

Jure ergo meritoque iterum ac iterum cum Principe Eruditionis, Seneca, exclamare licet: O quam contempta res est Homo, nisi supra Humana surrexerit! Pauci certe, vix ac ne vix quidem portas Thebarum aut ostia divitis Nili numero aequant, et vero possent in uno annulo perscribi atque depingi, Heroës Illi, Quos excelsior ac vera NOBILITAS Populis secretos Caelo dignatur, Sibique adeo Iphis jure postliminii reddit; uti Illi Ipsi sua tandem nosse bona, justum iis ponere pretium, Seque et recte intelligere, ac, ut par est, aestimare queant. Illam Ego Divam ad hoc Castrum Doloris jure summo in praesentia advoco. Immo ut Fortitudo Herculis, Consilium Nestoris, Prudentia Ulyssis, Pietas Aeneae, Justitia Aristidis, Bonitas Phocionis, aliae Divae singulae suorum sibi Heroum Funeribus addituisse videntur; quo gratam Eorum memoriam ab oblivione adsertam transcribant comitemque ipsi adfocient

ent Aeternitati; adaeque videre mihi videor Funebri huic Pompae, Armis inverfis, Clypeis atratis, Imaginibus pul-  
latis, adesse celsiorem illam ac unicam NOBILITATEM,  
bellumque adeo huic Sarcophago clarigare: quo HEROA Su-  
um, tenebris Ejus exemptum, bonis avibus in Secula mittat,  
victuris Laudibus Surgenti etiam Aevo Concelebrandum,  
ac aeterno Annalium honore feris quoque Nepotibus Ma-  
standum.

Nec diu animi haerebo, unde mutuos mihi sumere de-  
beam colores, queis NOBILITATEM signantius adumbrem.  
Sicco sane pede praetervehor illam Aetati Priscae adeo de-  
cantatam multoque nobilissimam Tabulam, in qua Pictorem  
Cydiam Argonautas lineamentis expressioribus adsimulasse,  
auctor est unicus Naturae Minister, Plinius. Consulto et-  
iam consilio silentio tramitto Timanthen, qui olim, ut ille  
ipse Plinius perhibet, Heroa pinxerat Absolutissimum, Ro-  
mae tandem in Templo Pacis consecratum. Nec adibo Se-  
des Doctarum Aevi Antiqui Mentium, Academiam Platonis,  
Lyceum Aristotelis, aut Poecilen illam Zenonis Porticum.  
Imaginem enim NOBILITATIS eminentem illam et signan-  
tissimam palam aperteque cernere datur ac venerari in He-  
roë Nostro, Illustrissimo Domino, Domino DANIELE  
VVASS DE TZEGE, Inclutae Tabulae Regiae Judicariae in  
Transilvania nuper admodum Adessore, Communi PATRIAE  
et ECCLESIAE, dum hanc Vitam viveret, Gaudio, nunc  
autem Desiderio.

Hac fini, VIR DESIDERII DANIEL, redeas paullum  
ad Vitam! Anima Sanctissima, jamque catalogo Beatorum  
adscripta, luminibus Tuis nativisque coloribus, queis in hoc  
Orbe tenebris merso pulcre radiasti, TE oculis Nostris sal-  
tem hac horula praebeas conspiciendam! uti TUAE NO-  
BILITATI, lineamentis adumbratae signantioribus, adsur-  
gat

gat novissime ORBIS DACICUS, ac PATRIA, ECCLESIA, MUSAE omnes, me Proxenetæ, Honores rite persolvant Heroicos, et omnino Supremos. Vos autem, PATRES CONSCRIPTI, QUEM Lustris admodum decem et tribus, et quod excurrit, in oculis ferebatis Vivum, ac ut Ambulantem in Dacia venerabamini NOBILITATEM, semihora hac recognoscite: ac VOS silendo, Ego laudando, Utrique autem aequè dolendo, BENE MERITIS MANIBUS NOBILISSIMI DANIELIS More Majorum parentemus.

Longe lateque enotuit Omnibus, Qui Juris Publici ac Heraldicae Artis fontes multo amœnissimos labris saltem primoribus delibarunt, ambitum NOBILITATIS tres distinctas complecti Species: NOBILITATEM nimirum CAELESTEM, et item VIRTUTIS, ac denique CIVILEM; Quas operæ pretium erit rectè atque ordine brevi edisserere.

Gradum principem tenet NOBILITAS CAELESTIS, Quae modo generalius extendi, modo specialius restringi amat. Generalius quidem extenditur NOBILITAS CAELESTIS ad omne omnino Genus Humanum, quod aequo et pari jure Natales suos primo Auctori DEO in acceptis fert, Caeloque delibata Mente ac Imagine DEI resplendet. Quo respectu Lydus Cræsus et Irus Dulichius, Patricius et Plebejus, Eques et Civis, Nobilis et Rusticus, Dominus et Servus, Princeps et Subditus, uno eodemque in censu habentur; ac, concinente Parœmiastæ Saero, Dives et Pauper sibi invicem occurrunt: Factor utriusque JEHOVA. Quod si pro eo, ac par est, Gens Suecorum expendisset, minime primis temporibus praeceptis eo ruisset; uti in Funere Viri Illustris Praeco Stemma Ejus clara voce divulgaret, usque et usque clamando: Defunctum esse Filium Hujus Illius; quoad pervenit ad personatum quemdam Sceavum, Noachi scilicet quartum natu Filium in Arca ipsa genitum, et vero Septem

Septem Trionum Conditozem: vanitate vaniffima et comento ingenii febricitantis, fomniis tantum ex eburna porta delufi, multoque helleboro purgandi. Ut enim Orbis Ante-Diluvianus Adamum, fic Orbis Post-Diluvianus Noachum, agnofcit Communem Publicumque Parentem: totumque adeo Genus Humanum, velut ex uno eodemque Genitali Sangvine prognatum, Nexu inter fe jungitur Fraternali plane ac Sororio: et vero, ut Ille ait, exfpectat Omnes in fummo Magna NOBILITAS.

At etiam fpecialius reffringi amat NOBILITAS CAELESTIS ad folos CHRISTIANOS, Unam illam in CHRISTO Familiam, Corpus illud CHRISTI Myfticum, omnes PATRIS Caeleftis Filios, CHRISTI Primogeniti Fratres, SPIRITU DEI Sanctificatos et Contefferatos, ejuſdem in Terris Gratiae, in Caelis Gloruae, Heredes. Hoc fane eſt fumum et eminentiffimum NOBILITATIS faſtigium: in ignobili hoc luto hoc demum eſt vere plenoque titulo NOBILEM eſſe. Ubi non poſſum, quin laudem aurea verba HILARII Arelatenſis Epifcopi in Panegyrico de Vita Deceſſoris Sui, HONORATI: NOS IN CHRISTO UNUM SUMUS, ET FAſTIGIUM EST NOBILITATIS INTER DEI FILIOS COMPUTARI. Chriſtianus enim aethereo fatu per SPIRITUM Gratiae et Gloruae recreatus, ac impreſſo DEI Sigillo Caelis deſponſatus ſacratusque, Vicaria SALVATORIS Juſticia et inſtaurata Imagine Divina paludatus, undique Ornamentis reſplendet Immortalibus: FIDE eximie victrice Mundi, et illo DEI Characterẽ, ultimo illo JESU Morientis Deposito, illa Virtutum Regina etiam Vitae Aeternae regnatura, CARITATE; quae Cultui Gloruaeque DEI conſecrata, in Proximum autem dives, Solis ad inſtar Orbi univerſo lucet. Ornant et aliae Chriſtiani Dotes omnino Caeleftes, queis Mundus ipſe in malo cubans adſtupet: Emiratur Animum Chriſtiani Hominiſ excellum

celsum et Heroicum, Victorem Seculi, Triumphatorem Car-  
 nis, bracteatae felicitatis rerumque solstitialium Contemto-  
 rem, æque, atque Olympi vertex, Serenum Tranquillumque.  
 Miratur aureum Adfectuum frenum, Temperantiam; Con-  
 stantiam, saxo quadrato sedentem; Fortunae Dominam,  
 Fortitudinem: quae Humanis altior malis, sub pondere cre-  
 scit, ictu et vulnere pulcrescit, adversis nitescit; quin et igne  
 spectata ad instar auri formosior exit, ac per damna, per cae-  
 des, ab ipso ferro opes animumque ducit. CHRISTIANAM hanc  
 FORTITUDINEM ex mente NAZIANZENI illius THEOLOGI, GRE-  
 GORII, O si Graecam Ejus potentiam et majestatem ore La-  
 tio adsequi exprimereque liceret! pingit illa in Fabulis Ar-  
 bos; quae cum caeditur, viret, et adversus ferrum certat,  
 ac, si de re paradoxa verbis paradoxis loquendum est, mor-  
 te vivit, et sectione pullulat, atque, cum absumitur, cre-  
 scit. Ad haec in Labyrintho Seculi mille viis ancipite, ac  
 in Terrestri hoc Exfilio, CHRISTIANUS Manna Caelesti, Epu-  
 lisque Ambrosiis, et Laticibus pascitur Nectareis, ac adflu-  
 entissime perfruitur beata copia omne genus Rerum Opti-  
 marum; quas nec oculus vidit, nec auris audivit, quaeve  
 nec in cor Hominis intrarunt.

Prorsus ergo CHRISTIANUS est Unicus in Mundo NO-  
 BILIS: Ille Propheta, Ille Sacerdos, Ille Rex: ut adeo La-  
 zarus Divite Epulone, Pauper Spiritu opulentis Asiae Regi-  
 bus, Minimus in Regno Caelorum Maximis in Regno Mundi  
 Principibus, in tantum NOBILIOR sit; in quantum NO-  
 BILIUS est, FILIUM esse DEI FRATREMQUE CHRISTI Primo-  
 geniti; quam Filium esse Satanae, ac turpe Peccati manci-  
 pium, et vilissimum Vanitatis vilissimae servulum. Huic  
 CHRISTIANI Hominis NOBILITATI omnia Titulorum Mun-  
 di firmata, omnes Honorum Adoreas, cunctas Glorïae Hu-  
 manae Palmas et Lauros, aequiparare, esset plane teruncium

Gazae Regiae, lucernulam Soli, splendoremque bracteatum et vitrea fracta Majestati Caelesti Aeternaeque Felicitati furda ratione componere. Unde THEODOSIUS IMPERATOR Caesar, rem omnem aequa lance componderans, quovis Regio Titulo gloriosiore censebat Titulum Christiani, dicere solitus: Magis Se gaudere, quod Membrum sit Ecclesiae, quam quod regnet in Terris. Est item, Qui haud ullus dubitat pronunciare, Solum Spiritu Pauperem vere, i. e. naturaliter, esse NOBILEM.

Ab ista CAELESTI NOBILITATE distinguitur passim NOBILITAS VIRTUTIS, sensu iterum vel stricto et Theologico, vel vulgari et Ethico sumta. Strictè quidem et Theologicè sumta NOBILITAS VIRTUTIS una est eademque cum Nobilitate Caelesti, seu Christiana; ubi enim est Mater VIRTUS, ibi unice quaeri debet et Filia NOBILITAS: vera autem solidaque Virtus non est alia, nisi Christiana: quae vero miris Graecorum Romanorumque laudibus ad Caelum vehuntur Virtutes Gentilium, uti cum Patre Africano loquar, Peccata haberi debent dumtaxat splendida. Nequeo mihi temperare, quo minus commemorem, olim quondam regnasse in Scholis Ethnicorum infelicem opinionem; quae ferebat, Virtutem ex assè ipsis Naturae Humanae viribus adscribendam esse. Ideo thraasonice Cotta Orator apud Ciceronem exclamat: Virtutem nemo unquam acceptam DEO retulit. Quis, item, quod Vir Bonus esset, gratias Diis egit unquam? Princeps etiam Stoicorum Seneca mire paratragœdiat: Deorum, inquit, Immortalium munus esse, quod vivimus; Philosophiae, quod bene vivimus. Itaque tanto plus nos debere Philosophiae, quam Diis; quanto majus beneficium est Bona Vita, quam Vita. Hoc idolum Sui, hanc Helenam Liberi Arbitrii, licet Parides hi depereant vehementer; fuisse tamen et in illa Gentium caligine,

gine, Quorum calculo Virtus ipsa longe augustior censetur, quam ut Natales Ejus a misero dumtaxat Homine repeti queant, Unus instar Omnium, Ceus Poëta Simonides, pulcre docet scito hoc lemmate: Absque Diis Virtutem accepit nemo. Et sane, quae Nos ad DEUM ducit, quae Nobis viam emunit ad Regnum Caeleste, Virtutem DEUM habere Auctorem, et e Caelo ad Nos descendisse, credere, par omnino est verumque.

At vulgari etiam ac Ethico sensu NOBILITATEM VIRTUTIS capere usu invaluit: quemadmodum tritissima erat Stoicae Philosophiae Thesis: Sapientem esse Divitem, Liberum, Regem; et vero Solum Sapientem esse NOBILEM. Concinit et scitum illud Cynicorum: Eosdem esse NOBILES, Qui et Probi essent. Adde Euripidem: Bonus Vir mihi NOBILIS videtur. Ideo NOBILITATEM etiam Philosophi illi definierunt Habitum a genere aut institutione aptum ad Virtutem. Haec et Philosophica vocitatur NOBILITAS, quando sua quisque Virtute spectatur censeturque. Quam VIRTUTIS NOBILITATEM cum tuberosa qua Veterum qua Neotericorum Volumina, et majora, quam sint duo Caesaris Anti-Catones, passim adfirmant, multisque orment encomiis; eam tamen negare sustinuit Mulier illa Genuensis, Nobili quidem nata loco; quae Conjugi Doctoris, haud ullo Majorum Stemmate illustis, fronte perfricta animoque impotente respondit: Penna non facit NOBILITATEM. Muliebris hujus responsi partem alteram et adfirmativam sipario silentii obnubere et involvere Pudor ipse jubet.

Festinat Oratio ad NOBILITATEM CIVILEM, quae usu loquendi longe sollempnissimo atque tralatitio eximie NOBILITAS audit. Quo titulo designatur DIGNITAS Sorti Communi praeminens, Honosque singularis, certis cum Orna-

Ornamentis et Auctoramentis, a Summa Civili Potestate collatus Egregiis quibusdam Personis, Quae Alios Muneribus et Meritis quam longissime antecellunt. NOBILITAS ergo CIVILIS spectari debet, ut Praemium Morale Publicum, certis ac Eminentioribus Personis, ob Virtutum Singularium Merita, a Principe sive Magistratu Summo conferri solitum. Fundamentum autem NOBILITATIS, seu Meritum, erit Virtus eximia Egregio Publico Salutaris, et vero Principe laudatore, sive calculo Civitatis, digna. Igitur tam Eminens Auctoramentum solae merentur Virtutes Sociales, quae Rem Civilem impense juvant, et conservando ac augendo Statui ejus Publico unice velificantur, atque adeo Principis seu Civitatis Testimonio Communi jure meritoque comprobari ornarique debent. Quae enim Virtutes Privatos dumtaxat et singulares Homines perficiunt atque commendant, nec ad Publica Rei Civilis Commoda directe aurigantur; eas hoc in censu locum minime habere, Aequi rerum Arbitri ultro agnoscunt: Pietas quippe, Morum Probitas, Mansuetudo, Temperantia, Vitae omnis Integritas, habent quidem in singulis Civibus suum sibi pretium sane quam ingens, laudisque solidae decus aeternum, et vero Cultoribus suis CAELESTEM, et item VIRTUTIS, NOBILITATEM, ut tantum quod declaravimus, jure optimo cum maxime conciliant; CIVILI tamen NOBILITATE Hominem augent neminem. Namque id genus Moralium Virtutum dotibus pretiosis valde ac multo pulcherrimis Singuli in primis macti esse debent longeque ornatissimi, etiamsi ab omni Societate omnino segeges, procul omni seu Laurea Martis, seu Olea Palladis, sive Astraeae Virginis Templo, secum dumtaxat habitent, ac sibi tantum summe inglorii inertesque vivant. Cumque adeo Morales eae Virtutes studio ac intentione principali

ad Statum Rei Publicae Communem minime collineent, Publico etiam Summae Civilis Potestatis Testimonio easdem collaudare, et vero CIVILI ornare augereque NOBILITATE, usu haud venit, certe sollemne fuit nunquam. Nec Comici Aristophanis lucifuga Plutus, ac aeternis tenebris abditus, deparco suo fordidissimoque Hero, ac Decoris Publici minime studioso, ullam veri nominis NOBILITATEM conciliat; nisi in quantum Avarus ille Egerius, Dives ille Pauperimus, Opulentus ille Egentissimus, Splendidus ille Obscurissimus, nobilebitur, ac potius noscitur, dumtaxat per hoc vulgatum scomma et dicterium saepe Attico respersum; quod memoriae proditum servat eximium Lexicon Suidae: Nobilis es a crumena.

Inter Sociales autem Virtutes, Saluti Publicae natas destinatasque, punctum omne tulit semper, primasque adeo ab ultima nascentis Rei Civilis memoria calculis Status concordibus obtinuit, Jurata Marti Fides, Virtusque Militaris: non eo sane, ac si omnis aliarum Virtutum comitatus nullo in numero ac pondere haberetur; sed ut innueretur, Rationem Status Virtuti Militari prae cunctis aliis immensum quantum debere: haec enim in se etiam spectata in primis ardua est, ac sui magnitudine facile omnes alias vincit: tanto item amore Salutis Publicae inflammatur duciturque, uti mille inter saevi Belli fulmina, mille inter ensis horrendi fulgura, pilasque ferreas, glandesque volucres, segetemque telorum, densosque ignitae grandinis imbres, formidabile illud theatrum et incertam dubii Martis plenamque praesentissimi discriminis aleam certo animo et adverso fortique pectore adeat, Vitam ipsam Morti oppigneret, Suamque adeo Salutem longissime postponat Publicae, et Sacramentum ei dictum, perenni fide Vitae totius in Reipublicae Commoda insumtae adfirmatum, genero-

nerosi etiam pulcrique Sangvinis sanctiore sigillo obfigmare haud dubitet. Atque ideo NOBILES vulgo videre est, tot alia inter choragia Titulorum, eximie salutari MILITES, ARMIGEROS, SCUTIFEROS, EQUITES; de Re enim Publica Plerique Omnes rebus MILITIAE fortitudine mascula gestis quam optime promeriti sunt, grandique adeo VIRTUTIS MILITARIS, universo Principis aut Civitatis theatro spectatae, pretio commercati Decus illud Dignitatemque per omnino illustrem; uti in Heroicum NOBILITATIS adlecti Cœtum, et illi Ipsi tam eminentem Honoris tanti Olympum humeris suis aetatem pulcre sustinerent, Splendoremque ejus recidivum, ac radios VIRTUTIS MILITARIS vibrantissimos, juxta cum Censu Summis Meritis pari, ad Seros quoque Nepotes, Natosque Natorum, et Qui nascerentur ab Illis, aeterna ferie nec usquam interrupta Posterorum linea, Auctoritate Publica propagarent.

Hoc genus NOBILES aequae, atque Sidera Caelos, plerasque omnes Gentes, jam inde usque a primis earum incunabulis, Gloriam nativae ac domesticae fulgore vivaci radiatoque jubare sane quam amplissime collustrarunt. Enimvero Celsiorem eam NOBILITATEM Rebus connatam esse Publicis, ac incrementibus illis majores subinde cepisse auctus, inque dies usque ad plenam Heroicae Magnitudinis mensuram incrementis multo laetissimis adolevisse, veri est longe atque longe simillimum. Infinitum foret, certe longum nimis, in praesentia totum Terrarum Orbem pererrare, ac omnium omnino Gentium catalogum suo sibi ordine paullo curatius pertextum in medium dare: Earum Quasdam dumtaxat in Ferali hac Scena sufficiat consignantius laudavisse, uti ex his discere liceat Omnes. ARABUM Veterum genium et ingenium dextre pinxit Eorundem idoneus Auctor, qui perhibet, Eos jam in cana illa Antiquitate

tate non alia re ulla gloriari solitos fuisse, nisi GLADIO, HOSPITALITATE, ac ELOQUENTIA; inque adeo hac Triga Virtutum quaesivisse: aeternam Nominis sui Celebritatem, ac materiam Verae NOBILITATIS, qua Praesenti Aetati impense et majorem in modum collaudatae, qua Surgenti olim Aevo Fastis Rerum Gestarum Custodibus ac Laudum Praeconis frequentandae. Sane Qui in Vita sua recte curasset horum nihil, Is Arabia iudice ne vixisse quidem censebatur: contra ea Qui sedulo diligenterque omnia praestitisset ac cumulasset curatissime, Is NOBILITATIS Praecelsae culmen summum adtingebat: cum aliis Honorum Adoreis splendide coornatus, Praemiisque multo largissimis luculente collocupletatus; tum praecipue Panegyricis Sollemnibus, queis fortia Heroum, Fortium facinora quot Annis decantabantur, stato tempore idemtidem recentatis, in frequentissima Concione Arabum cohonestatus ac dilaudatus, hacque adeo via consecratus Memoriae in Annualibus Libris Animisque Hominum Perpetuandae. MAJORES Nostros, AUDITORES SPECTATISSIMI, Cuius Vestrum cognitissimos, ac Celsa illa NOBILITATE Illustres adeo, uti minime habeant, cur Gentis ullius invideant NOBILITATI mœreantque, pede sicco sponte praetervehor: verbisque tribus juvat commemorare Virtute et Factis Superbas Animas, GRAECIAE NOBILES; in Quibus Splendor et Antiquitas NOBILITATIS de palma inter se certant: nec enim laborat fides Annualium, qui NOBILIUM GRAECIAE Natales primos inde usque ab ultima HEROUM Veterum Stirpe arcessunt: quo nomine in primis percelebrant Graeci HERACLIDAS, ABACIDAS, CECROPIDAS. Suum sibi locum hac in cera Princeps etiam olim Populus meritissimo suo vindicat; Qui Florem Primitivum Verque Sacrum NOBILITATIS ROMANAE inde ab ipsa Trojana Origine derivat: et vero Nobilissimos quosque

que censet Antiquissimos, Eosque adeo Poëta passim Trojugenas adpellitat. Ad eum modum Aeternae Felix Aeneidos Auctor, et Princeps Expositorum Servius, a Sergesto Sergiam Familiam, a Cloantho Cluentiam, a Gya Gyganiam, eximie illam ipsam Domum Juliam ab Iulo, qui et Ascanius, Aeneae Filio, derivare nulli dubitant. Suos item ROMA PATRICIOS, ex affe debet proxime Patribus Illis, sive Primis Senatoribus, Quos Romani Nominis ac Urbis Conditor ROMULUS ipse legebat, cum ordinabat rerum olim pulcerrimam Civitatem, et Terrarum Gentiumque Dominam, Cui par nihil et nihil secundum. Hi tandem Romuli Patres, tanquam Primicerii, adsumto cognomine vocitari amabant PATRICII MAJORUM GENTIUM; quo nimirum discernantur ab Illis, Qui Principibus Civitatis et Clarissimis Viris procreati, deinceps temporibus, cum Senatus modo ampliari modo suppleri deberet, Patres inter adlecti sunt, et vero, velut Secundicerii, audiebant PATRICII MINORUM GENTIUM. At enim augustiora illa Romanae Nobilitatis latifundia in Urbe multo longius latiusque patebant; namque praeter Patricios tantum quod laudatos cum primis NOBILES habebantur, quorum Majores, Militiae ac Domi Summis Honoribus ac Muneribus magna cum laude perfuncti, Magistratibus refugebant Curulibus, erantque adeo Consulares, Censorii, Praetorii, ac Aedilitii. Tres adeo Romanae Nobilitatis quasi gradus distinctos ac tria haec genitiva Ejus vocabula in praesenti connotare haud abs re erit: Trojugenas, qui Antiquissimi æque atque Nobilissimi Civium Romanorum censentur; et item Patricios, quos, si Majorum sint Gentium, unos esse eosdemque cum Trojugenis, scite docet Juvenalis Satyrographi Scholiastes Vetus; ac denique NOBILES proprie sic dictos.

Eidem ROMANAE NOBILITATI primis Seculis cum maxime sollemne fuit, uti verba Poëtae mox commemorati mea faciam, Lunam alutae nigrae adpositam subtexere, si ve in calceamentis nigris Lunulam ex fibulis eburnis adornatam gestare. Quae Lunulae figura cum notam numeri centenarii imitetur, pulcre indigitabat, si par est Nos ad credere Rosciis Antiquariae Scenae longe Consultissimis, Romulum initio Senatores legisse centum, Consilii Publici Praefides Arbitrosque. Plutarchus ad haec Chaeroneus argutatur, Veteres Romanorum Nobiles hieroglyphico hoc signo sui officii commonitos fuisse, uti Imperium aequo animo ferre discerent; ad instar Lunae, quae ultima Caelo, citima Terris, luce aliena lucet, et vero primas Soli ultro cedit: Publicum item hoc Insigne dilucidissime pinxisse Constantissimam Rerum Mundanarum Inconstantiam, Stabilemque Sortis Humanae Vertiginem; cui plane et examuffim respondent stata ac perpetua Lunae aucta et damna. Non desunt, Quorum animis ea sedet sententia: illud Numae Regis institutum eo praecipue spectasse, uti hoc Lunae symbolum palam omnibus publiceque ob oculos poneret invulgaretque, in anquirendis Romani Generis Splendorisque incunabulis per Veteres ultimasque Memorias eundum esse retro usque ad Arcades, qui se Profelenos, ipsamque adeo Lunam ortu suo praevertisse, jactitabant, somniis haud dubie in illo ipso Lunae concavo captatis. Hoc certum est, ac vulgo in Monumentis canae venerandaeque Vetustatis obvium, Lunam juxta cum Sole typum haberi atque emblemata Antiquitatis, immo et Aeternitatis, multo signantissimum: id quod praeter Lapidem Litteratos, validius passim adfirmant vividiusque Veteres Numi Diocletiani, Maximiani, Postumi, Aliorum. In primis animos oculosque nostros omnino adfixos adtinent, et quam jucundissime pascunt oblectantque, Vespasiani

pasiani et Hadriani Impp. Caes. Numi; qui clarissime ostentant Figuram, manu dextra Caput Solis, sinistra Lunae gestantem, cum Epigraphe: AETERNITAS, aut plenius, AETERNITAS AUGUSTI. Nec illaudatum praeterire licet singularem, graphicum, et auro contra carum, Antonini Pii Numum; in quo diuidua Luna sub pedibus Junonis Samiae posita luculente cernitur. Fas sit heic magna parvis componere, et Sacra contendere Profanis, atque adeo commemorare illam INGENUI FILIAM, Ecclesiam CHRISTI; quae in Apocalypsi Johannis Theologi comparet AMICTA SOLE, ET SUB CUJUS PEDIBUS ERAT LUNA. Tralucet ex his satis superque, Nobile illud Romanae Nobilitatis Insigne, Lunam, Ultimam Ejus multoque Splendidissimam Antiquitatem liquidissime aequae atque testatissime adumbrasse simul ac adfirmasse. Et vero Scholiastes ante laudatus verba Satyrae mox adlegata brevi ac nervoso hoc commentaculo adprime rectissime evolvit illustratque: Patricius Senator est; Lunula nam adsuta calceis discernuntur Patricii a Novitiis.

Eximie Nobilitas Romana sibi vindicabat Jus IMAGINUM prive quidem adeo ac proprie, uti Jus Nobilitatis et Jus Imaginum aequipolleant, passimque ut synonyma alternentur. Quo etiam ex fonte emerfit tergemina illa Civium Romanorum divisio in NOBILES, NOVOS, et IGNOBILES: Hi sane nec Majorum Imagines, nec Suas, habuerunt ullas; seu neque Ipsi, nec Majores Eorum Magistratus Curules gesserunt: Isti Majorum licet Imaginibus destituti, Suis tamen cum maxime resplenduerunt; sive Ipsi quidem Summos hosce Honores gesserunt, quanquam Eorum Majores Honoribus iisdem minime praefulserint: Illi denique Majorum Suorum Imagines habuere, Curuli nempe Magistratu Summa cum laude Reique Publicae bono perfunctorum.

Illae ipsae autem Majorum Imagines, humerorum tenus orbiculari figura in speciem clypei, quam et ob rem Clypei etiam haud raro adpellari amant, cera expressae, singulis disponebantur armariis, in Atriis aedium, maxime cum titulis sive indicibus Honorum ac Rerum, quas gesserant Majores ipsi, quibus dedicatae erant. Stemmata vero, ut Plinius loquitur, lineis discurrebant ad Imagines pictas: Tablina codicibus implebantur et Monumentis Rerum in Magistratu gestarum. Ac praeter istas Cereas Effigies, adstruendae Familiae Nobilitati, aliae in foribus stabant et circa limina Animorum ingentium Imagines, Aerea nempe Signa, vivis Majorum vultibus certantia, adfixis Hostium Spoliis, quae nec emtori refringere liceret; quae, etiam Dominis mutatis, Domus Ornamenta fuere. Eratque haec simulatio summa et ingens, exprobrantibus rectis quotidie, imbellem Dominum intrare in alienum triumphum. Id genus Imagines certum adeo in Urbe quondam Rerum Domina erant NOBILITATIS argumentum, uti Suetonius, longe Liberrimus multoque Gravissimus Historicus ille, Gentem Flaviam, cui suos Natales debent Summi Imp. Caes. Vespasiani, haud ullus dubitet adpellare Obscuram, seu minime NOBILEM. Romano enim more NOBILITATEM aestimat ex Imaginibus: nam quo longior Imaginum pompa, quo laetior Avorum coetus, quo frequentior Cerarum Veterum series, tota Hujus Illius Atria exornabat; hoc major, hoc amplior, hoc eminentior, Ejus ducebatur NOBILITAS. Tranquillus itaque, uti Gentem Flaviam luculento argumento obscuram probaret, e vestigio subjicit, Eam fuisse sine ullis Majorum Imaginibus. per eas enim sublata obscuritate, Nobilitas et Claritudo conciliabatur sane quam Eminentissima. Nec parvus vilisque Amor Virtutum censeretur debet, mentiri Clarorum Imagines, Patritos Avitosque Vultus cominus cer-  
nere,

nerē, infervare stantes in curribus Aemilianos, et Curios jam dimidios; humerosque minorem Corvinum; quo nempe Virtutes Eorum ac Gesta noscent non tantum ac legerent Posterī, sed imitarentur etiam, tacitisque Glorīae stimulis noctes et dies concitarentur; unusque adeo quisque Eorum, ubi illas egregii exempli Species, Heroas illos suis ex Virtutibus ornatos, intueretur, colorem inde genuinum germanum duceret, ac mox ardore animi totus concalescens inflammatusque ope summa omnique impetu in id incumberet, uti olim Paullus, vel Cossus, vel Drusus Moribus esset.

Sua Sibi Insignia hodieque NOBILES ipsos ornant. ARMA sunt GENTILITIA, spirantes imagines, juxta et, elingvia sint licet ac muta, disertī praecones, Rerum Domi Forisque Gestarum, ob quas PUBLICUM Se NOBILIBUS eximie devinxit, Illosque adeo Vulgari Sorti exemptos eminente Honoris adorea inactavit. Quae operosius Ego quidem, AUDITORES NOBILISSIMI, in praesentia haud persequor; VOS enim Ipsī alta hoc genus Familiarum decora, ultimae memoriae MAJORIBUS Splendidissimis debita, ac opibus Croesi omnique thesauro contra cara, dies noctesque in animis inque oculis fertis, largo cum foenore, novoque cum auctu ac splendore, ad Seros ea MINORES tramissuri.

Quo vero in pretio titulum decusque NOBILIS Vetus omnis, qua Sacra, qua Profana, habuit; neminem VESTRUM fugit. Regius sane Ecclesiastes, Hominum omnium longe longeque Sapientissimus, cum maxime beatam praedicat ipsam quoque Regionem, cujus Rex natales suos NOBILI Stemmati debet. Princeps etiam Salutis, JESUS, in Parabola apud Evangelistam Lucam, Se diserte NOBILEM adpellat. Et in Pompa Seculi splendor hujusce Tituli tantus olim quondam erat, uti Impp. Romanorum Augg. interdum, certe Diocletianus et Maximianus, NOBILISSIMI,

juxta et Augustae ipsae NOBILISSIMAE Fœminae, salutarerentur. Inde, uti stylo Aevi Medii utar, ea NOBILISSIMATUS Dignitas eximie secundos ab Imperatore Augusto, Ejusque Collegas, jamque designatos ac certos Imperii Heredes, Caesares, et mox, ditione Tituli longius patente latiutque, omnes alios Sangvinis Principes, ornabat: dictique adeo sunt CAESARES NOBILISSIMI, quin et nude ac simpliciter NOBILISSIMI; Filii item Imperatorum audiebant NOBILISSIMI PUERI. Quam in rem testes excitare et advocare fas est, qui non defugient auctoritatem, Annales, Marmora Litterata, et item Numos Antiquos. Ac cum Numi nomisma Augustae Majestatis sibi inditum, Summique Principis spirantes Vultus, prae se ferant: ad eos etiam honos hujus nominis haud injuria transit. Sane Aevo Sequiore Gentes inter nonnullas usu venit, uti NOBILIS egregie vocitaretur certa quaedam aureae monetae species.

Atque NOBILITATI huic Decus ingens, grave Superpondium, Venerationem certe conciliat eximiam, ipsa Ejus Antiquitas; quo altior et remotior, eo utique et illustrior et honoratior. Pulcre quidem novi, Aetati nulli defuisse suos sibi Praefectos Morum; constricta et adductiore fronte Catones; saepe tamen sine suffragiis Virgulam gessere Censoriam; qui cupidissime quaeritabant captabantque ansulas suggillandi depretiandive NOBILITATEM STEM-MATIS. Qua severa gravitate et Catoniano superciliosae frontis arbitrio argutatur et Juvenalis:

Malo, Pater Tibi sit Therfites, dummodo Tu sis  
Aeacidae similis, Vulcaniaque arma capeffas;

Quam Te Therfiteae similem producat Achilles.

At enim rigidior haec Censura perstringit dumtaxat Degeneres Majorum Liberos, et eo haec unice a Satyrico Poëta differuntur; uti Posteris Patritam Avitamque Virtutem aemulari,

lari, quin et supercendere, summis studiis contendant; nec adeo Minores, sed Majores, Majoribus suis in dies evadere equis et viris, remis et velis, connitantur. Ita si patrifsent Liberi, spemque et vota Majorum ex asse impleant, quin eorum NOBILITATI Antiquitas ipsa grande pondus pretiumque decimum superaddat, Aequi sane Rerum Arbitri jure nullo ibunt inficias.

Venerationem sane habet, inquit Orbis Politici Oraculum, Summus quondam Angliae Cancellarius, FRANC. BACON Baro de Verulamio Serm. Fid. XIV. videre Castellum aut Aedificium antiquum, quod nulla ruina invasit; aut etiam annosam & proceram Arborem solidam & integram: quanto magis intueri ANTIQUAM NOBILEM PROSAPIAM a fluctibus et procellis Temporis illaesam? Et sane si NOBILITAS Nova Potentiae Publicae sit opus; utique NOBILITAS Antiqua ejusdem Potentiae Publicae juxta et Temporis ipsius Filia erit Illustris. Res item Majorum Pace Belloque Gestas, earumque fructum multo uberrimum, longo etiam post tempore Status sentit Publicus, grataque ac semper inoblita Mente repetit, et bene apud Memorem Veteris stat gratia Facti: verum ergo est in primis ac omnino aequum, Res easdem juxta cum ipsis illis Majoribus, ad instar herbae solstitialis, minime interimori, quin contra ea vivacissimam illarum expertemque Sepulcri Memoriam in ipsis eximie Majorum Posteris quot diebus recentari, perque adeo Seros Nepotes in Secula mitti Decus ipsum semperque Virginem Laurum NOBILITATIS; quae ipsa vires omnino acquirit eundo, eo futura illustrior, quo perennius in Minoribus superstes vernat. Si Davidides ille, suae tempestatis longe formosissimus Absalom, masculae Subolis expertus, exspesque adeo Phoenicis novi olim ex Cineribus Patriis profeminandi, Vivus adhuc victurae post Fata Memoriae heredem erexit Colum-

nam, suo etiam ex vocabulo nomine ipsi indito: si denique Majorum bono omni de Re Meritorum Publica Vultus Apellea cera, Pario marmore, Cyprio aere, quadantenus adsumulatos, ac saepe saepius fumosa, situque et injuria temporis squallentia, semesaque, lineamenta, ut Majorum ipsorum mnemosyna praesentissima, impense suspicimus, interque cimelia ac rariora Venerandae Antiquitatis deposita sollicitius et quam curatissime adservamus: Nos utique eodem Majores, non jam in cera, lapide, rudiore metallo, sed in suis sibi Liberis, vivis et spirantibus ac expressioribus simulacris, genuinis germanis imaginibus, jure longe longeque summo recognoscimus, et sane quam meritissimo deveneramur; sic enim Genitor ipse suum intuetur Filium, ut Alterum Se. Atque ex hoc fonte dimanavit, perque trito inveteravit usu, uti NOBILES egregie gauderent titulo GENEROSI; qui propria et corporea sua notione Genere Eminentem consignat: Cui nempe, palam hoc innuente ipsa ejus notatione, Genus alto a Sangvine deductum Antiquam conciliat Nobilitatem; Quemque adeo, ut auctor est Cornelius Fronto, Generosum dicunt ex Generatione. Longius tamen latiusque patet hodie regio hujusce vocabuli; extenditur enim ad quasvis praestantiores alti excellisque Animi Dotes, et cujusque Virtutis eminentiorem gradum, additque adeo Nobilitati decus perinsigne: ut Is demum in NOBILIBUS pleno titulo GENEROSUS audiat, Qui in comitatum suum perpetuumque contubernium adscivit chorum omnigenae Virtutis, ejusque radiis multo vibrantissimis Splendorem Sangvinis undique versum quam amplissime collustrat.

Quae tamen de Antiqua Generis Nobilitate cum in praesentia dissertamus, NOBILES interea NOVOS minime censemus ideo contemptui nullo aut numero habendos.

Ubi enim Hi etiam Splendorem suae Nobilitatis ad feros Nepotum Posteris provexerint; aequè omnino auctores Antiqui et Proaviti Stemmatis existuri sunt olim, ac fuere quondam Illi, Qui partam suis meritis Nobilitatem, per longam Liberorum lineam inabrupta serie ad Nostram usque Aetatem propagarunt: Quive insimul Stemma suum quum conderent, NOVI utique fuere NOBILES. Prout NOVUS ille NOBILIS, quum ei objectaretur nuperum dumtaxat et novitium Stemma, paullo commotior stylo nasci olim ANTIQUO NOBILI responderat: Stemma Tuum definit in Te, Meum incipit in Me. Ac si ANTIQUI mœreant Nobilitate NOVORUM, Nobilissimus Anglus tantum quod laudatus ait, simile hoc esse deceptioni visus: cum res retrocedere videantur, aliis se promoventibus. NOVA sane aequè veri nominis est NOBILITAS, atque ANTIQUA; quove jam praeradiat Stemma Vetus Splendore, praefulgebit olim eo Novum etiam Stemma. NOBILITAS enim incipit in NOBILITATO, inde in Filiis pubescit, dein adolescit in Nepotibus, denique maturam atque perfectam aetatem consequitur in Pronepotibus. Quae Scenae Heraldicae Rosciorum Placita, alia item bene multa horsum aurigantia, locupletissime exsequitur J. C. BECMANUS, Notit. Dignit. Dissert. XI. de NOBILIBUS. Cujus Oceano Nos hasce debere guttulas, Cujusque Cynosuram antennas Nostras hoc in alto direxisse, grato animo, pro eo ac par est, agnoscimus profitemurque.

Peroret jam, PATRES CONSCRIPTI, NOBILITATEM HEROS Magnis Majoribus ad Maxima Natus, Illustrissimus Dominus, Dominus DANIEL VVASS de TZEGE: Inclutae Tabulae Regiae Judiciariae in Transilvania, dum viveret, Adfessor, Patriae Columen, Ecclesiae Praesidium, Musarum Evergeta Beneficentissimus. Utatur JURE IMAGINUM

GINUM HEROS NOBILISSIMUS: ac ut Romanis quondam sollemne fuerat, in Funere Patricio Cereas Majorum Effigies continua ac decente serie hastis sublimes praefere; quo ultima Proavitae Nobilitatis Antiquitas testatior fieret, Populumque inter ac Plebem publico quasi praeconio Imaginum provulgaretur: adaeque et DESIDERATI Majores, inde usque a Veteribus repetendi Memoriis, in Ferale hoc Lamenti Forum suo quisque ordine prodeant, atque adeo haec etiam Funebri Pompa Imagine Patriciatu Atavi longa spatietur.

Ubi primas sibi vindicat Par illud Fratrum, illa duo Fulmina Belli, LOB et THOMAS; Qui postquam BELAE III. Optimo Regi Hungariae, Seculo Aerae Christianae admodum XII. Militares suas Virtutes longa fide adprobassent, fortisque animo THOMAS in ipso Praelio non dubitasset Mortem occumbere: ut Aevo omni Publicum certa Feuda NOBILIBUS in auctoramentum Magnorum Meritorum concessit: adaeque Rex etiam longe Felicissimus et Prudentissimus BELA III. superstiti LOB cum in solatium amissi Fratris THOMAE, tum in praemium eximiae Fortitudinis Bellicae, Jure Perpetuo luculenta et amplissima donavit Praedia: quorum Hereditatem NOBILISSIMA GENS VVASSIANA hodieque magna ex parte cernit. Primum ergo Conditorem suum veneratur illum ipsum LOB, Sago et Toga longe Nobilissimum, et ab Eo Natales suos sane quam Splendidissimos per sex admodum Centurias Annorum, recta nec usquam interrupta serie deducit.

LOB enim Egregium Par Filiorum reliquerat, CHAMA et EMICH de S. AEGIDIO. CHAMA quidem id operam dedit effecitque, uti, jam adulto AE. C. Seculo cum maxime XIII. DONA MILITARIA pronuper a BELA III. quam liberalissime indulta, etiam BELA IV. Fortunae modo  
Filius,

Filius, modo Privignus, Regia sua Auctoritate confirmaret,  
 recentato infimul illo ipso DONATIONIS REGIAE Instrumento.  
 Lingvis Animisque favete Omnes! verum est etiam Humi-  
 lem adeo Oratorem filere, quum EXCELSI REGES lo-  
 quuntur, huncque in modum Majores VVASSIAE GEN-  
 TIS dilaudant: BELA DEI GRATIA REX, Primoge-  
 nitus Regis Hungariae. Universis Praesentes Literas  
 aspecturis Salutem ab EO, QUI SALUS Omnium est.  
 Cum Voluntate Patris Nostri, et maturo Principum Ter-  
 rae Omniumve Consilio, Perpetuitatum Donationes in  
 utilitatem factas revocaremus, obtulit NOBIS CHAMA,  
 Filius LOB, Tempore Nostro NOBILIS, quoddam Privi-  
 legium Piae Recordationis AVI Nostri, quondam BELAE  
 REGIS, concessum super Donatione Novem Terrarum,  
 seu Possessionum; quod postmodum apud Eos casu acci-  
 dente, vel ex improvidentia, est amissum. NOS ergo  
 consideravimus FIDELE ET EXCELLENTISSIMUM  
 SERVITIUM LOB Patris ipsius et THOMAE Fratris  
 ejusdem; quod exhibuerunt in Graecia, fideliter invigi-  
 lantes Regiae Majestati et Honori, usque ad Sangvinis  
 effusionem dimicando Se Morti tradere non formidantes.  
 Quorum Insignia Facta et Servitia fideliter exhibita BA-  
 NUS, et LENSTATHIUS Vajvoda, ad aures BELAE  
 Regis in notitiam retulerunt; cum Quibus dicti Homi-  
 nes in Graecia militaverunt: et propter tot Insignia Vir-  
 tutum, quia Militia non debet defraudari Praemio, BE-  
 LA REX, AVUS Noster, contulit et donavit ipsi LOB,  
 pro Fidelitatis suae constantia, Possessiones, Vesscel, Om-  
 buczteleke, Fizestelek, Popteleke, Ludumat, Mohál,  
 Devetser Inferiorem, et Superiorem Devetser, et Vil-  
 lam Igalia juxta fluvium Sijo, in Transilvania, in Co-  
 mitatu de Doboka existentes, in omnibus utilitatibus et

” pertinentiis earundem universis, eidem LOB, et perpe-  
 ” tuis Heredibus, Heredumque suorum Successoribus, per-  
 ” petuo possidendas. Hoc ergo Volentes deferre Antiqui-  
 ” tati, Possessiones ab AVO Nostro Donatas et Concessas  
 ” confirmamus, et Stabilitatem in nullo diminuimus, ut  
 ” Veri Antecessorum Nostrorum Imitatores.

REGIIS ELOGIIS decorati et impense collaudati  
 MAJORES Sibi per Secula plura Pares numerarunt MI-  
 NORES. CHAMAE quidem Linea mox in Nepotibus ipsis  
 defecit: at EMICH de S. AEGIDIO Genitor exstitit JOANNIS,  
 juxta et NICOLAI Majoris; Qui Avitum Familiae Decus  
 in majus evexit, perque insigni Splendore collocupletavit.  
 COMES ac infimul Castri Csicsóvv Castellanus, ineunte  
 Seculo post Natum CHRISTUM XIV. summa gratia valu-  
 it apud Regem Hungariae CAROLUM I. Qui Arcem  
 Csicsóvv Sibi servaturus, aliud Praedium NICOLAO con-  
 tulit Verbo Regio, etiam per Magnum Regem SIGIS-  
 MUNDUM Comitis NICOLAI Posteris confirmato. Ast,  
 quae est Rerum Humanarum fragilitas, Comes NICOLAUS  
 Par Filiorum, Nepotem autem reliquit nullum. Ejus er-  
 go Frater JOANNES natus Major, octonis Filiis felix Pa-  
 rens, Domum Splendidissimam quam laetissime propagavit.  
 In Linea quidem Primogeniti NICOLAI Minoris Nepotes  
 quatuor, Pronepotem autem haud ullum vidit: at Linea  
 LADISLAI natus Secundi recta usque ad DESIDERATUM  
 decurrit, Ramis Ejus Fraternalibus ac Lineis Collateralibus,  
 his serius, illis temporius, deficientibus.

Ubi piaculum foret, Quintum natus Fratrem, PET-  
 RUM RUFUM, ingrato silentio praetervehi; Qui, adulto  
 jam Seculo XIV. PROTONOTARIATU praefulgens, in Hunga-  
 riam auspiciis felicibus vadit, uti Avitam in Incl. Vespri-  
 nensi et Jaurinensi Comitibus summo Suo Jure cernat  
 Heredi-

Hereditatem: relictaque adeo Suis Fratribus Dacia, Sedem Sibi fixam mansuramque in Hungaria deligit. Heros Militiae Domique Summus, Liberos etiam quatuor Saluti Publicae dedit, Nepotes autem multo plurimos: Quorum longe lateque per Pannoniam dispersa auctaque Familia ad Nostram usque Memoriam sane quam laetissime floruit, certe nuper admodum defloruit conciditque. Peccarem pariter in reverentiam Majoribus debitam, si taciti silentii spario involverem Fratrem PETRI RUFII, ac Parentis JOANNIS octavum et vero minimum natu Filium, DESEO, Annalibus Patriis longe Celebratissimum. Cujus Virtutes Pace Belloque spectatas, eximie Fortitudinem Hectoream, saepe saepius luculenter adprobatam, denique, quum Regia Castra duceret adversus Bulgaros, longe plurimis Hostium Capitibus victore bisque timendo ense rotatis, in ipsa Bulgaria etiam sigillo generosi Sangvinis obsignatam, Immortalis Rex Hungariae LUDOVICUS I. LIBERO BARONATU, aliisque Regiae Gratiae Signis, amplissime remuneratus est. Tantus tamen Heros Genitor est dumtaxat JOANNIS et LADISLAI Filiorum; Nepotis vero haud ullius Avus.

Redire gestit Oratio ad Fratrem LADISLAUM natu Secundum, Felicem illum Domus Nobilissimae Propagatorem; Patrem NICOLAI LÖKÖS sub PETRO Vajvoda Transilvaniae PROTONOTARII. Qui sex Filiorum Genitor, perque natu Tertium MICHAELEM VVASS de Sz. Ivány Avus trium existit Nepotum. Quorum satu Maximus GEORGIUS I. felix Filio LADISLAO, Nepote JOANNE, Pronepote DOMINICO, Abnepote BLASIO, Atnepote JOANNE: felix etiam Tritavus Trinepote GEORGIO Seniore: Serenissimi quondam Transilvaniae Principis, SIGISMUNDI BATHORI, Consiliario Intimo, itemque Incl. Comitatus Colosensis Supremo Comite: Patre

Unici Herois, FRANCISCI; in Cujus laudes sequendas Cicerone laudatore opus fuerit. In primis tollebat Se humo, Victorque per Ora Hominum Librosque Annales volitare cepit praecipue tempestate illa; qua Corvus ille hi-ans speque jam Transilvanos devorans, Lupus ille per tesqua vagari adfuetus, rapere, fallere, fidem frangere, Federibus ut astragalis ludere solitus Valachus, MICHAEL Vajvoda, Carissimam Nostram Patriam oppresserat. Quo mox per NOBILITATEM DACICAM, AQUILIS ROMANIS in tempore advolantibus, Opemque ferentibus Patronam, ex voto animique sententia profligato debellatoque, importunum Valachi impotentissimi jugum confractum est penitus, et a Cervicibus Transilvaniae fortiter excussum depulsumque feliciter. Atque id tempestatis NOBILIUM pars omnino magna fuit FRANCISCUS: Cujus Achilleam Virtutem, Publico Patriae Universae Theatro spectatam, PROCERES PERANHYLAEI Consensione unanimi Calculisque concordibus adprobaturi, Donativa novo plane et singulari modo, rariore certe mittendoque in Secula exemplo, decernunt; Tabulis enim Publicis, Omnium et Singulorum id temporis PROCERUM Nomine Sigilloque recte atque ordine firmatis, Larga Bona et Ampla Praedia FRANCISCO, Ejusque Posteris, Jure Perenni ac irrevocabiliter conferunt, Æ. C. Seculo XVI. cummaxime exeunte: quorum quidem Donativorum parte luculenta etiamnum beata est Illustrissima GENS VVASSIANA.

Atque FRANCISCUS Ille per Filium GEORGIUM Juniorem Avus erat LADISLAI et JOHANNIS: per Quos dein Nobilissima GENS VVASSIA in duas abiit FAMILIAS. Natu quidem Major LADISLAUS, alterius in GENTE VVASSIA Lineae Auctor, Regiaeque in Transilvania Tabulae Judicariae Adseffor Dexterrimus, Filio cummaxime  
 beatus

beatus Magno GEORGIO: Qui initio Seculi currentis, ter-  
 gemina Sollemni Legatione, Nomine Regni Publico, ad  
 AUGUSTISSIMAM CAESAREO-REGIAM AULAM VI-  
 ENNENSEM, dextre fideliterque perfunctus; ad haec Su-  
 premus Liberae Regiaeque Civitatis Claudiopolitanae CA-  
 PITANEUS substitutus; juxta et Incl. COMITATUUM  
 Tordenfis, Colosensis, Dobocensis, ac Interioris Szolnok  
 ADMINISTRATOR renunciatus: satis superque declaravit,  
 Naturam, Virtutem, Fortunam, Sibi Compendium in uno  
 GEORGIO fecisse, Eumque adeo Nobilem Heroum Nobi-  
 lissimorum constituisse Epitomen. Cui Natales sane quam  
 Splendidissimos debet Filius LADISLAUS, Heros ad omnia  
 Summa natus, Ill. Scholae Reformat. Claudiopolitanae in  
 primis curandae Trium-Vir, nuper admodum Patriae et  
 Ecclesiae ereptus, et vero Dictione Parentali pro eo, ac  
 par erat, More Majorum a Me dilaudatus. Phœnix quidem  
 Cineris Paterni Heres paullo post emicuit, funerati Genito-  
 ris busto superstans, unico magis unicus JOSEPHUS, jam-  
 que in mustea aetatula plurima Patris imago. Sed vix ad-  
 paruit, disparuit: ad Annos maxime duos et item sex Men-  
 ses natus, solstitialis ad instar herbae Austeritate Fatorum  
 praecerpitus praefloratusque Claudiopoli; ubi Magnus etiam  
 Avus Parentesque finivere. Atque ita, O Constantissimam  
 Rerum Humanarum Inconstantiam! Florentissimi Proavi  
 LADISLAI Linea in Ultimo Ejus Pronepotulo JOSEPHO,  
 quod ad Sexum Meliorem, tota concidit defecitque.

Longe longequè felicior LADISLAO Frater Ejus na-  
 tu Minor JOANNES, Tabulae in Transilvania Judiciariae  
 Adfessor Meritissimus, juxta et Incl. Comitatus Interioris  
 Szolnok Supremus Comes, ex Coniuge Generosissima, Filia  
 LADISLAI EBENI, EVA, auspiciore Lucina suscepit  
 AGNETEM: Summi quondam et Illustrissimi Herois,

MICHAELIS BÁNFI, Consortem Connubialem; et item GEORGIUM; Annis adhuc florentibus Terrestri Vitae ereptos: denique nuper Amorem Nostrum, nunc Desiderium dumtaxat, ILLUSTRISSIMUM DANIELEM.

Atque Stemmati huic sane quam Illustri et Nobilissimo novum eumque perinsignem Splendorem addit Linea Descendentalis Materni Generis, jam inde usque ab inclinante Æ. C. Seculo XV. recta et perpetua serie deducendi, multisque adeo Stemmatum Cognatorum flexuris GENTEM VVASSIANAM illigat. Conjux quidem DOMINICI VVASS BARBARA GYERÖFI nexu Cognationis VVASSIOS devincit Illustrissimis ac Nobilissimis Familiis GYERÖFIANAE, KFMENYIANAE, MIKOLANAE, VITEZIANAE, itemque KABOSIANAE. JOANNIS autem Contoralis EVA KUN innectit VVASSIOS Illustrissimae ac Nobilissimae Familiae KUN. Item Uxor GEORGI Senioris CATHARINA ERDÉLYI VVASSIOS conjungit cum Familia SZILÁGYI ANA per omnino antiqua; Mater enim Catharinae JUSTINA SZILÁGYI; Hujus item Genitor MICHAEL SZILÁGYI, Frater Magnae et Gloriosissimae Heroidis ELISABET, Marito JOANNE HUNYADI, Filio MATTHIA REGE, Felicissimae. Eadem CATHARINA per Parentem NICOLAUM ERDÉLYI de Somkerek connectit VVASSIOS Nobilissimae quoque Familiae DATZO, ac per eam Heroi etiam Illustrissimo D. DAVIDI MARIAFI de Maxa, Incl. Comitatus Colos Supremo Comiti. FRANCISCI VVASS Conjux DRUSIANA BOGATI per priorem Maritum, Heroa Illustrissimum ANDREAM BARTSAI de Nagy-Bartsa, vinculo Agnationis VVASSIOS adnectit Magnificae et Illustrissimae Genti BARTSAIANAE. Tedis dein Jugalibus tertium accensis, Lucina feliciore Mater Drusiana peperit Transilvaniae Vajvodam MIRTZE MARKO.

Confors

Confors Thalami GEORGII Junioris JUDITHA KENDEFI  
 illigat VVASSIOS Illustrissimae Domui KENDEFIANAE, ac  
 mediante Matre SUSANNA BORNEMISZA innectit Ex-  
 cellentissimae et Axiomate quondam GUBERNATORIO Splen-  
 didissimae Domui BANFIAE; Ejus item Sororio Vinculo  
 destinat Familiis Excellentissimis VVESSELENYIAE, GYU-  
 LAIANAE ac BETHLENIANAЕ. Vitae Torique LADIS-  
 LAI Socia, ANNA, Filia Herois Maximi, Excellentissimi  
 D. MICHAELIS S. R. I. Comitis TELEKI de Szék novo no-  
 mine devincit VVASSIOS Illustrissimos S. R. I. Comites TE-  
 LEKIOS de Szék. ANNAE ejusdem Filia, SUSANNA, in-  
 nectit VVASSIOS Nobilissimae Domui SZILVASIANAЕ.  
 Junioris item LADISLAI Conjuges Illustrissimae et Mag-  
 nificae, Com. JULIANA BETHLEN et L. Bar. CATHA-  
 RINA KEMÉNY, recentant et potentius adstringunt vin-  
 cula VVASSIOS inter ac Illustrissimos Comites BETHLE-  
 NIOS, Baronesque KEMENYIOS. Quam tantum quod  
 laudavi, JUDITHA KENDEFI, Marito GEORGIO VVASS  
 fatis functo, in manum convenit Heroi Summo, Statuum  
 Transilvaniae Praesidenti, Comitatus Albenfis Comiti Su-  
 premo, Illustrissimo D. SIGISMUNDO L. Baroni BANFI  
 de Losontz: atque adeo recente et arctiore nexu VVAS-  
 SII adligantur Illustrissimo ac Magnifico Heroi, D. D.  
 SIGISMUNDO L. Baroni BÁNFI de Losontz; Sacratissi-  
 mae Regiae, nuper admodum et Caesareae, Majestatis in  
 Excelso Regio Transilvaniae Gubernio Consiliario Intimo;  
 Ecclesiarum, et Collegiorum, Scholarumque, in Transil-  
 Reformat. Supremo Curatori: juxta et Excellentissimae  
 Domui GYULAIANAЕ; itemque Illustrissimo D. D. GA-  
 BRIELI ALVINTZI de Borberek, Excelsi Regii in Trans-  
 silvania Gubernii Secretario, Heroi Saluti Publicae Nato.  
 Denique DEFUNCTI Mater EVA EBENI per Germanam  
 Sororem

Sororem, HELENAM, Spectab. ac Generosae D. CHRIS-  
TINAE, ut et Spectab. ac Gener. D. SIGISMUNDI, VÁ-  
RADIORUM de N. Várad Aviam, potenter VVASSIIS  
adnectit Heroa Egregio Publico Devotissimum, Spectab.  
atque Generosissimum D MICHAELEM DIOSZEGI de  
Dés, Ejusque Domum Florentissimam, juxta et Nobilissi-  
mam Familiam Varadianam.

Hoc est Stemma Herois DESIDERATI sane quam  
Nobilissimum, levi dumtaxat rudique penicillo quod ad  
summa tantum fastigia adumbratum; Cujus Splendorine  
debeat an vero Antiquitati palma deferri, haud in promptu  
est definire. Par etiam, certe haud Minor, ILLE Tantis  
Majoribus vixit; Perque vetustae ac Civili Suae Nobilitati,  
amicissimo laetoque Conjugio, Nobilitate Caelesti, ac Vir-  
tutis, copulata, Mixtam illam, ut adpellitant Politici, No-  
bilitatem omni Sua Vita signantissime expressit. Et vero  
statim atque Terrestris hujus Vitae Stationem avi bona in-  
gressus est, Natus in Proavito Praedio, AJTON, Anno Su-  
perioris Seculi quarto et septuagesimo, A. D. V. Nonas Mar-  
tias; ipsa Ejus vernalis Aetatula perpetua Verae Nobilitatis  
Schola fuit. Anno enim ejusdem Seculi LXXX. A. D. XI. No-  
nas Septembres, Ejus Genitore Optimo, altero post Anno,  
A. D. II. Nonas Sextiles, etiam Matre Dulcissima, Caelo  
transcriptis, Pupillum Septennem, Qui Cognatione prox-  
ime contingebat, PHOENIX DACIAE, HEROS IMMORTALIS, GU-  
BERNATOR Excellentissimus, Comes GEORGIUS BANFI  
de Losontz, adfectu plane Paterno sub Tutelam Legitimam  
recipit. Inde, non longo post tempore, ad Studia Litter-  
arum feliciter excolenda, Aulicis Musis commendatus,  
Principi Juventutis, Serenissimo MICHAELI APAFI II. in  
Palaestra Litteraria Commiles et Condiscipulus adjungitur,  
incrementis in dies laetissimis, inter svaves Musarum Cha-  
riticum-

ritumque amplexus, ad Egregium Publicum confurgens. Qui vero Dies albi atrique haec Ejus Aulica Studia, minime sane diuturna, exceperint, Nobilitatis ipsius continua fuere exercitia et experimenta.

Anno tandem elapsi proxime Seculi xcvii. Aetate Hymenaeo matura florens vicensque, cum spe votoque Uxoris transigere decrevit: Virginemque adeo aeque Generis Splendore atque Morum gratia Spectatissimam, Illustrissimam Herois STEPHANI MIKO, Filiam, HELENAM, Federe Conjugali Sibi devinxit, viditque Eximia Tori Genialis Pignora sex: Illustrissimos NICOLAUM et GEORGIUM, Parvum Nobile Fratrum, Nobilitatisque Dacicae Ornamenta singularia, Patriae Ecclesiaeque Salutares Heroas; et item JOANNEM, AGNETEM, FRANCISCUM, Annis adhuc viridibus Vitae Meliori adscriptos, DANIELEM denique, ad omne Decus Nobilitate quam pulcherrime crescentem, pronuper Oratione Funebris a Me Collaudatum. Funeribus quatuor Liberorum, quos Heros Noster extulit, accessit et alia Domestica Clades, Eumque vehementer adflixit; Vitae, Tori, Fortunarumque Conforte Anno Seculi currentis xvi. Ei erepta. Inde viduus biennium transegit, ac mox Anno Seculi duodevicesimo, A. D. vii. Ejdus Apriles, Secundas et vere Secundas Tedas accendit, Hymenaeo longe ac longe auspiciatissimo Sibi sociando Heroë Militiae Domique Summo, Illustrissimo D. ADAMO VAJI de Vaja, Natam, Illustrissimam D. JUDITHAM; Heroïda Aureo Seculo dignam, ac ad omne Matronale Decus Exaggeratam, Ecclesiae Musarumque Matrem. Cujus Vitam nuper admodum cum Marito Dulcissimo cum maxime Vitalem, nunc, amisso corculo Animaeque dimidio, Mœrorem decumanum profundamque Aegritudinem, nullius Jeremiae Lamenta plene planeque exprimerent, ac ne Timantes quidem Pictor alio simula-

mine adumbraret, nisi velo dumtaxat faciei Ejus obducto. Ea NOSTRUM septem Liberis auxit: ADAMO, a Musis et Graetiis ad perfectum Nobilitatis exemplar pulcre formato belleque geniato, et Orbi Patrio Heroa Magnum promittente; et item Quinione Liliorum, Charites suavitate, ac formae gratia Venerem aemulante, nunc autem taxea silva frondibusque cupressinis inumbrato; ANNA, CATHARINA, CHRISTINA, CLARA, et JULIANA; Genitorem enim JUDITHA Exitu ex hac Vita praevertit.

NOSTER etiam Anno abhinc admodum undevicesimo nodosa podagra chiragraque in Eum irruente ac procaciter exsaeviente, omni Animi Corporisque vigore deseri sensim ac destitui, defectissimus viribus fractusque lecto subinde pertinacius adfigi, doloribus curatissimis vehementius urgeri ac longos saepe Soles Noctesque incessanter et exquisitissime adfictari: mox quinque abhinc Annos, cum jam quassati et enervati pedes corporis trunco ferendo non essent, scipionem socium in subsidium deposcere, aut sella dumtaxat portatili gestari, inque adeo frigidaria hac cella longas et sane quam molestas Vivi Sui ducere Exsequias. IPSE interea Celsus et Ingens Animi, ac Fortitudine Masculae planeque Heroica Magnitudine, ut Vita omni pari semper steterat fastigio in utraque Fortuna, Par Prosperis, Major Adversis; sic extrema Aetate, quum defectior videretur viribus, Seipsum quasi exsuperat: inclementes illos carnifices artuum, illamque tot malorum cohortem Annis bene multis tanta saevitia depraeliantem, infracto invictove Pectore sustinens: ac denique, in Avito Palatio Tsafarinensi, placido tranquilloque fine, ineunte Æ. C. Seculi duodevicesimi Anno XLI. solutus, Magnum illum Vitae Beatæ Annum auspiciatur, sexagenario major sexennio ferme.

Vitam vixit vere Christianam, quae PATRIS CAELES-  
 TIS Filium, quae CHRISTI PRIMOGENITI Fratrem,  
 quae Candidatum Immortalitatis sigillo DIVINI SPIRITUS  
 impressum signatumque deceat: quam et Vicinus Morti  
 Preces inter ardentissimas cum adsiduo ad Deum suspiratu  
 hisce in Terris animo praesentissimo clausit: et vero CAE-  
 LESTEM illam NOBILITATEM cum in Vita tum in Morte  
 Orbi spectandam eminenter in Se circumtulit. Ei junxit  
 et NOBILITATEM VIRTUTIS: ut adeo DANIELEM  
 Sacris Annalibus impense Celebratum heic cernere dare-  
 tur ac venerari REDIVIVUM. Illud enim Caelestis He-  
 rois consummatum Instar DANIEL Noster eximie decre-  
 vit statuitque Cordi altius inscriptum totius Vitae cursu  
 plenius planiusque exscribere: uti Zelo quidem Religionis  
 erga DEUM referret DANIELEM THEOLOGUM; Fide-  
 litate erga MAJESTATEM CAESAREAM ac REGIAM  
 DANIELEM exhiberet AULICUM, in Aulis Regum, Ne-  
 bucadnetzaris Babylonii, Darii Medi, et Cyri Persae, a-  
 gentem; Caritate autem erga Patriam Salutemque Publi-  
 cam DANIELEM adsimularet POLITICUM, diu noctu-  
 que in sudata veste obdurantem, inque vigiliis continuis  
 pro Gente Patria excubantem.

Vidit etiam AUGUSTISSIMUS CAROLUS VI. Meri-  
 ta Nostri auctoramento digna omnino esse; atque adeo  
 Anno Seculi labentis unetvicesimo, A. D. x. Kalendas Apri-  
 les, Sollemni Diplomate misso, clementer aequae atque pru-  
 denter Nostrum Incl. Tabulae Regiae Judicariae in Trans-  
 silvania Adsefforem creat. Quae Persona, Honoris ac Dig-  
 nitatis plenissima, quam pulcre decenterque humeris Ejus  
 federit, Universi Patriae Status memori et grata mente  
 recognoscunt: Eum Transsilvaniae Nestorem, Consultorem  
 Optimum, Aequi Bonique Arbitrum Prudentissimum, certe

Publico Salutarem, concelebantes. Ille Idem in Ferreo hoc Seculo Moribus relucebat prorsus Aureis: Officiis erga Proceres; Comitatus in Amicos; Humanitate erga Quosvis; Amore tenerrimo erga Conjuges, Liberos, omnes omnino Familiars, et item Fratres, Agnatos, Cognatos, Adfines. Ut adeo jure meritissimo ab illis Moribus Aureis Cognomine sumto, Qui vulgo DANIEL VVASS vocitabatur, DANIEL adpellaretur AUREUS, sive, ut Veteribus Egregios Fortesque Viros nominare mos erat, AUREOLUS.

At enim tot Titulis, eximiis plane et singularibus, illaetabili hoc Feretro, More Majorum jam jamque in Avitum VVASSIAE GENTIS Tumulum deportando, conditis, superest dumtaxat DANIEL DESIDERATUS. Prius vero quam Aeternam Caeli Regiam Seculi Victor ovansque magnis adiret passibus, Monumentum Suae Gratitude Nos inter erigit aere perennius hisce in Terris mansurum. Ac in primis Patriae longe omnium Carissimae, Patri Ejus et Atlanti, GUBERNATORI EXCELLENTISSIMO, D. D. JOANNI COMITI HALLER de Haller-Kö, et item Excelso Regio Gubernio, Incl. Tabulae Regiae Judiciariae, cujus Commembrum fuerat, Universis denique Regni Statibus ac Ordinibus, Cygneus Senex, Aurea vovet Secula, ac Salutem Publicam, Fortunamque semper et Sequentem et Manentem. Ac etiam in gelida Morte amore Conjugis ardens Maritus, Illustrissimae D. JUDITHAE VAJI de Vaja, Votivo Carmine precatur Redeuntem post Nubila Phoebum, Lucemque olim e Tenebris effulgentem, ac Dies omnino Halcyonios. Filios Dilectissimos; Illustrissimos D. D. NICOLAUM, GEORGIUM, ADAMUM, juxta et Filias Dulcissimas, Illustrissimas D. D. ANNAM, CATHARINAM, CHRISTINAM, CLARAM, JULIANAM, Mixtae Suae Nobilitatis Heredes ex asse scribit: uti ad NOBILEM-Illum, quo

quo Titulo CHRISTUS etiam Se insignire haud renuit, converſis defixisque oculis, Nobilitati Stemmatis jungant Virtutis, eximie Caeleſtem, Nobilitatem, Solesque agitent Candidos, ac Dies Innubes, Honoribus et Fortunis Florentiffimi. Nurus Suas, Illuſtriſſimam S. R. I. Comit. D. EVAM TELEKI de Szék, et item Illuſtriſſimam ELISABETHAM SZ. PETERI, Epitomas Decoris Feminei Abſolutiſſimas, juxta et Nepotes Jucundiſſimos, jam Heres Salutis noviffime Salvere jubet, longumque ac plurimum Valere.

Phoenici Seculi, Patriae Ornamento, Eccleſiae Praefidio, Muſarum Herculi, Illuſtriſſimo ac Magnifico D. D. SIGISMUNDO L. BARONI BĀNFI de Loſontz: Sacr. Regiae, pronuper et Caefareae, Majeſtatis in Excelſo Regio Tranſilvaniae Gubernio Conſiliario Intimo, Eccleſiarum et Collegiorum Scholarumque in Tranſilvania Reformat. Supremo Curatori, jam Caelo Propior Pleniorque Vates Fortunam addicit Pedifequam, Perennemque Laeticiae Lucernam, ac inter Honores Magnis Meritis Pares Laurum Semper-Virginem. Agnatis et Cognatis: Illuſtriſſimis Heroibus, Patriae et Eccleſiae Salutaribus, Nobiliſſima Familia MIKO oriundis; itemque Illuſtriſſimo D. BALTHASARI SZILVÁSI de Tſehzelitske, Heroi Saluti Communi Nato; juxta et Illuſtriſſimo D. SIGISMUNDO TOROTZKAI de Torotzko Sz. György, Heroi Antiqua Fide et Virtute; vovet, uti Annorum et Honorum tandem Saturi quam placidiſſime Suos Sibi Dies abſolvant. Excellentiffimis atque Illuſtriſſimis Gentibus, BĀNFIÆ, BETHLENIAE, VVÉSELENYIAE, GYULAIANAE, TELEKIANAE, KEMÉNYIANAE, ALVINTZIANAE, et BARTSAIANAE, itemque Familiis Nobiliſſimis GYERŐFIANAE, KABOSIANAE, VARADIANAE, ac DIOSZEGIANAE; Ver in Excelſae  
Gloriae

Gloriae Laureto Perenne, plenoque Cornu Beatam Copiam  
Rerum. Amicis ac Benevolis, Domesticis et Familiari-  
bus, Hilaritatem Temporum, Pyliamque Aetatem. Incl.  
Comitatui DOBOCENSI, Cujus pars magna fuit, Ejusque  
Comiti Supremo, Illustrissimo et Magnifico L. Baroni D. D.  
SAMUELI KEMÉNY de Gyerö-Monostor, Summorum He-  
roum Epitomae, Musagetae Optimo, Vernantem Honoris  
Adoream, Remque Prolemque et Decus omne.

VOBIS autem, PATRES CONSCRIPTI, quia haec  
Parentalia celebratis, et hanc Funeris Pompam ducitis,  
Virtutem Ducem, Comitem Fortunam, Precatus, breve  
hoc Vitae Suae Mnemosynon Voluntate NOBIS legat Ul-  
tima; Sepulcro Ejus, Animis Nostris, ac Libris inscriben-  
dum Annalibus:

HEROS. SEXENNIS. ET. SEXAGENARIUS.  
CAELESTI. VIRTUTIS. STEMMATIS.  
NOBILITATE. ILLUSTRISSIMUS.

D. DANIEL. VVASS. DE. TZEGE.  
HEIC. EXSPECTAT. RESURRECTIONEM.

BEATAM.

ILICET, AUDITORES SPECTATISSIMI! Ac si  
Me auctore in ignobili hoc luto NOBILITATI TER-  
RESTRI jungetis CAELESTEM, Ego quidem  
fatis feliciter

D I X I

DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR  
10308 / 1037 Magyarországi naplószám.

